



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

§. IV. Corollarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

nee ad supremum Romani Pontificis tribunal perventum sit? Nonne eandem in rebus spiritualibus potestatem à Deo Pastores Ecclesie obtinuerunt, quam Magistratus & Principes in rebus temporalibus? Nonne, ut sæpius diximus, si alterutra potestas alteri præferri, vel alteram emendare debeat (& reverà debet) spiritualis temporalis est anteposenda? Quanta ergo sit spirituali injuria, cum temporalis postponitur, nedum par non habetur utriusque conditio, ut cuique liberè sua liceat obire munia?

59. Sicut olim Ecclesia judicarium ordinem à legibus constitutum sequebatur; ita postea ordinem à jure Canonico inductum amplexa est Gallia, ut ejus Nationis Scriptores notant, nominatim Marca §. seq. & perhibet stylus ipse, ac praxis: sensim tamen plures factæ sunt mutationes, quibus ipsam Ecclesiam subjicere Iudices laici conantur; adeo, ut hodie multum appellationes ab abusu, vix alio prætextu colorentur, quam non servatæ formæ à Constitutionibus Regijs, aut stylo præscriptæ, magisque ferme cavendum sit Iudicibus Ecclesiasticis, ne fori sæcularis praxin, quam ne Canones ignorent. Ex Canonibus enim non observantur quàmplurimi; formulas moderni juris prætermittere nefas est, & abusus multæ obnoxius.

60. Ab ordine tamen judiciario per leges constituto Principem dispensare posse, probat Marca §. 6. autoritate Meliphongi Episcopi in Concilio Chalcedonensi dicentis, Eutychem per se ipsum, non per Procuratorem respondere debere; Nisi, aiebat, aliter jussit Imperator, cui parendum erit. Verùm etiam hodie Magistratibus sæcularibus in multis parendum est; sed hoc non propter conscientiam, sed propter iram: non quia iusta præcipiunt, sed quia præceptorum executionem per vim extorquent. Cum ordo judiciarius ad hoc institutus sit, ut rei veritatem, & justitiam facilius assequantur Iudices, & judicia cõmodius executioni demandentur: sicut in varijs Regnis, imò in varijs Provincijs pro circumstantiarum varietate diversus est, ita & pro rerum, & causarum distinctione. Et quemadmodum quilibet Princeps judiciorum formam, prout subditis suis convenire arbitratur, Iudicibus suis præscribit; ita æquum esset, ut Ecclesia liberè posset in negotijs spiritualibus, & Ecclesiasticis ordinem sequi, quem probasset commodiorem causis rectè riteque expediendis.

61. Frustra verò §. 6. probatur, Ecclesiam olim leges secutam in ordine judiciorum: nam ut verbis Lucij III. utar, quæ referuntur Cap. 1. de novi operis nuntiatione; Sicut leges non dedignantur Canones imitari, ita & statuta sacrorum Canonum, Principum Constitutionibus adjungantur. Glossa super verbo adjungantur, addit: Et ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiam si Canones deficiant, possit judicari secundum leges. Sed aliud est, Ecclesiam justis, & commodis legibus in suis judicijs uti, aliud, non posse à legibus recedere, nisi ex dispensatione Principum.

62. Illis fori sæcularis formulis se non adstringi, putabant Iudices Ecclesiastici in Gallia ante paucos annos. Nam & quique suum styllum habebant; & initio hujus sæculi auctoritate Comitiorum Cleri Gallicani editus fuerat stylus generalis in omnibus Curijs Ecclesiasticis illius Regni servandus. Anno 1560. instabat Senatus Parisiensis, sicut narratur in instrumento relato à Puteano in reprobationes libertatum Ecclesie Gallicanæ cap. 28. n. 19. ne causæ ad Religionem spectantes apud Iudices Ecclesiasticos tractentur; prout edito Regno constitutum fuerat, eaque inter alias afferebatur ratio; Quia Iudices Ecclesiastici legibus Principum temporalium se non teneri arbitrantur, eaque non observant. Expediit quidem ad vitanda incommoda, quæ interdum ex diversitate oriuntur, ut Ecclesie Officiales judiciario sæcularium ordini sese, quantum possunt, accommodent. Sed cum ab eo sibi recedendum existimant, iniquum est, ut tanquam abusi suâ potestate, plectantur à potestate sæculari.

§. III.

Corollarium.

EX dictis inferitur, cedro dignissima esse verba sequentia Authoris tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 12. cap. 3. n. 3. ita concludentis. Mirum certè est, quomodo Iudices sæculares, qui calicem, aut aliud vas Divinis mysterijs consecratum non solum rapere non auderent, sed nec nudis manibus contrectare, jurisdictionem sacram ad se trahere non vereantur, quasi non sit etiam res sacra, & Ecclesie maximè necessaria & chara.

Cujus ratio ibidem sic deducitur. Ipsi namque Imperatores, ac Principes, ut jam sæpe insinuavimus, solemniter protestati sunt, non ad Laicos, sed ad Episcopos, aliosque Iudices spectare, non solum condendorum jus Canonum, sed etiam interpretandorum. Retulimus jam sententiam Constantini Magni, Theodosij secundi, & Valentiniani III. Caioli Magni, aliorumque Principum, quibus adjungi possent alij non pauci. Sed nihil considerari potest expressius, quam quod Imperator Basilius publicè declaravit in octava Synodo. Cum enim illius Concilij decreta optaret, ab omnibus libenter excipi, & executioni demandari, omnibus facultatem concessit ea proponendi, quæ sibi vel obscura, vel difficilia viderentur in ejus Canonibus, monuit tamen, eam licentiam eò tantum tendere, ut ambigua explanarentur ab ipsamet Synodo; Quisquis habet aliquid adversus hanc sanctam, & universalem synodum, dicendum, vel contra hujus Canones, aut terminum, stet in medio, & quæ sibi videntur, dicat, sive Episcopus sit, sive quisquam de Ecclesiastico Clero, sive Laicus, aut ex his, qui civilibus Officijs mancipatus existat; quamquam non datum sit, istis secundum Canonem dicere quidquam penitus de Ecclesiasticis causis. (Ecclesiasticæ causæ sunt juxta Basilij mentem non tantum terminus, seu fidei definitio, sed etiam Canones, circa reliquas materias, ut

K k k 3

ex

ex præcedentibus verbis patet) Opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum est; Sed ex abundantis omnes os iniquum obstruere volentes, licentiam præstamus omnibus, ut, qui in mente habet quid ambiguum de his, quæ decreta sunt ab hac sancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & suscipiat satisfactionis salubre remedium. *Act. 10.* quæ est ultima octavæ Synodi.

65. Philippus Augustus, referente, ac in exemplum proponente S. Ludovico, cum à suis Officialibus moneretur, jurisdictionem Regiam à Iudicibus Ecclesiasticis usurpari, respondit, malle se id perpeti, quam à Sacerdotibus cum scandalo dissidere. Utinam illius Regis posteris, non neglecta propria auctoritate, sed vindicata contra Regios Officiales Ecclesiasticæ, dissidijs, ac scandalis occurrerent. Dicitur de Rege Philippo Avo nostro (verba sunt S. Ludovici in documentis, quæ ante mortem filio suo primogenito scripsit, & quasi pro testamento reliquit, referente Guilhelmo de Nangiaco Monacho S. Dionysij in Francia) quod quidam de Consiliarijs suis dixit ei, quod multa damna inferbant ei Ecclesiasticæ personæ, jura ipsius usurpando, & mirabantur multi, quod ita tolerabat. Cui Rex respondit: Bene credo, quod dicitis, sed quando cogito beneficia, quæ mihi Dominus contulit, melius volo pati, quam inter me, & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ô fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum, quantum poteris.

66. Quod spectat ad personas, peccatur à Iudicibus sæcularibus in tritam illam Iuriconsultorum regulam; *Actor sequitur forum Rei*, cum in actionibus, quas personales vocant, id est, quæ in personam diriguntur, non in rem aliquam temporalem, viros Deo consecratos, quantæcunque dignitate præfulgeant, ad sua tribunalia trahunt. Itaque, qui se sacrorum Canonum Custodes esse gloriantur, Canones, Clericos, & Regulares à foro sæculari arcetes, ita non servant, ut nullius alterius conditionis hominum major ibi copia videatur; quod in Clerum, & in Religiosos Ordines relaxationem, & sæcularium morum colluviem inducit, & maximum sacris Dei Ministris, & famulis contemptum conciliat.

67. Quæ in re tantum abest, ut dignitatis Episcopalis Christianis omnibus tantoperè reverendæ, atque ab antiquis Gallis tanto in honore habitæ, rationem habeant; ut in hoc suam eminere dignitatem arbitrentur, si Episcopos pro rebus etiam Divinis, & Ecclesiasticis, ad se venire compellant. Unde in aliquibus Senatibus pertinaciter retinetur, quamvis refragantibus edictis Regijs, usus vocandorum in iudicium Episcoporum ipsorum, non admissis Procuratoribus Fiscalibus, quos illic Promotores vocant, etiamsi de ordinationibus, vel sententijs mora sit controversa, quam Præsules, & Iudices tantum, cum sua ipsorum nihil interellet, pro sui officij munere tulerunt.

Ex quibus ulterioribus fundamentis tales ab abusu appellationes, aliæve Gallicanæ libertates, sed frustra, justificentur à Gallicanis Doctoribus?

DISQUISITIO XV.

Ex quibus ulterioribus fundamentis tales ab abusu appellationes, aliæve Gallicanæ libertates, sed frustra, justificentur à Gallicanis Doctoribus?

S. I.

An ex pragmatica sancti Ludovici sanctione præteritis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus favor aliquis accretcat?

Author tract. de libert. Eccles. Gallie, lib. 1. cap. 15. rem hanc ita prosequitur. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 4. de concord. &c. cap. 9. n. 4. S. Ludovicum, qui decessit anno 1270. laudat primum libertatis Ecclesiasticæ restitutorem his verbis; Hinc gloriosissimo Regi prima debetur libertatis Ecclesiasticæ restitutio, quam suo edicto post mortem ipsius disciplinam in beneficiorum collationibus anno 1268. procuravit; quo uno capite contentiones inter Episcopos, & Romanam Curiam tunc ferè continuabantur. Ex quibus verbis duo consequentur: primum libertates Ecclesiæ Gallicanæ ante tempora S. Ludovici non nisi circa beneficiorum collationem violatas fuisse. 2. Violationem illam non longè ante tempora S. Ludovici contigisse.

Odiolum certè esset istud principium tum ex parte sanctæ Sedis, tum ex parte Gallie, cum Romani Pontifices ab antiqua disciplina recessisse supponantur, ut beneficiorum collationem usurparent, tantumque in eo fuisse abusum, ut sanctissimus Rex cum suis ecclesijs cohiberi, coactus sit. Invidiosa etiam res esset, quod Galli Summum Pontificem & Gallia ortum, cum alijs virtutibus, tum vel maxime propinquitatis carnalis in distribuendis beneficijs, & redditibus Ecclesiasticis, contemptu insignem, ceu tyrannum exiimarent, adversus quem invocanda fuisset potestas sæcularis, & in rejiciendis illius ordinationibus circa beneficiorum collationem, & Ecclesiasticorum proventuum, constituenda Ecclesiæ libertas. Sed plurima sunt, quæ certissime suadent, constitutionem illam S. Ludovici, quam pragmaticam sanctionem vocant, aut suppositam esse omnino, aut nihil adversus sanctam Sedem molitam fuisse.

Dum constitutio illa de beneficijs & alijs juris Ecclesiasticis loquitur, nullam omnino Summi Pontificis, aut sanctæ Sedis mentionem facit. Cur igitur verba ejus tam odiosa interpretatione in illam partem detorqueantur? Ante illa tempora Ecclesia Gallicana injurias quàm plurimas circa suos redditus, circa beneficia, & circa disciplinam perpessus fuerat à laicis, ipsique malis, ut seculo obdolerat occasio, medicatus fuerat religiosus Rex. Ipsiemet Petrus de Marca lib. 3. cap. 1. citat extimias ejus litteras anno 1228. datas, quibus Ecclesiasticam libertatem, non adversus Curiam